



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### Theologia Moralis Universa

Ad Mentem Præcipuorum Theologorum & Canonistarum, per Casus  
practicos exposita, nunc quartò ab ipso Authore revisa ... & in 4. Tomulos  
sic divisa, ut pro libitu in duas aut 4. Partes commodè compingi possit

Per XXXVI. Casus Exhibens Materiam de Conscientiâ, Legibus, Peccatis,  
Fide, Spe, Charitate, Jure & Justitiâ

**Jansen, Leonard**

**Coloniæ Agrippinæ, 1752**

**VD18 13475452-001**

De Regula Externa. Actuum humanorum, sive de Legibus.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-39804**

justissimè hæc patiat, & omninò fiat incurabilis, nisi experti & probi viri (sicut ex charitate propria omninò obligatur) iudicio cœcè se submittat.

## DE REGULA EXTERNA

Actuum humanorum, sive de  
Legibus.

### CASUS V.

*De essentia & proprietatibus Legum.*

**E**Baldus Theologus interrogatur 1. *Quid sit Lex?* 2. *Humana, divina, & an Leges Veteris Testamenti adhuc obligent.* 3. *Lex affirmativa, negativa, pœnalis.* 4. *Favorabilis, odiosa.* 5. *An materia levis cadat sub precepto gravi vel contra.* 6. *An actus interni.* 7. *An Lex naturalis, & positiva debeat promulgari.* 8. *Qualiter Lex Imperatoria, vel Pontificia.* 9. *Episcopalis, vel inferiorum Principum.* 10. *An Lex debeat acceptari.* 11. *An contra eam possit appellari.* 12. *Quid consuetudo: an possit habere vim legis.* 13. *Vel legem abrogare, & qua ad hoc requirantur, & quid si Lex improbet consuetudinem.* 14. *Quid si Papa vel Princeps sit invalidè electus, vel de hoc sit dubium.* 15. *Quid circa declarationes Cardin.* 16. *Quid in dubio, an Lex sit promulgata vel recepta, an obliget sub mortali vel veniali &c. An sit iusta &c.* 17. 18. *Quid in dubio an Legi sit satisfactum.* 19. *Quo tempore Leges implenda. Pro resolut.*

QUÆR. I. *Quid & quotuplex sit Lex?*

R. 1. *Lex in genere est recta agendorum omniumve ratio. Dividitur primò in naturalem,*



& positivam : Lex *naturalis* est dictamen , quo homo ex lumine naturali à Deo sibi indito statuit, quid rectè agendum omittendùmve sit, ut cum dicit: omne bonum est amandum, malum fugiendum. Lex *positiva* est recta agendorum ratio, ab eo, qui curam communitatis habet, populo denuntiata, cum voluntate obligandi. *S. Th 1. 2. q. 90. a. 4. Dicitur 1. recta ratio*, quia Lex debet esse de re honestâ, justâ & possibili. Res nimium difficilis, ut status religiosus, consilia Evangelica, non cadunt sub præcepto humano, nisi antecedenter, & liberè se quis ad ea obligarit : nec impossibile quid cadit sub lege divinâ, ideòque impium & hæreticum est dicere cum Luthero & Calvino, præcepta Dei in statu naturæ lapsæ homini esse observatu impossibilia; à quibus non multum dissentit prop. 1. Jansenii damnata ab Innoc. XI. Alex. VII. & Clem. XI. quæ sic habet : *Aliqua Dei præcepta hominibus justis volentibus & conantibus secundum præsentia, quas habent, vires sunt impossibilia, deest quoque illis gratia quâ possible fiunt.* Ratio est: quia si Deus homini præciperet impossibilia, transgressio non homini, sed Deo imputanda foret; quis non horreat hujusmodi blasphemiam? *Dicitur 2. agendorum & omittendorum ratio*, ut definitio simul comprehendat præcepta posita & negativa. *Dicitur 3.* Ab eo qui curam communitatis habet, hoc est à Superiore, qualis in totam Ecclesiam est Papa, in totum Imperium Cæsar. *Dicitur 4.* Cum voluntate obligandi, intellige vel in conscientia, vel saltem ad pœnam, in hoc enim Lex positiva distinguitur à consilio & puro monito.

2. 1. *Dividitur Lex* in divinam & humanam; hæc à Deo, altera ab homine lata est. Divina alia est **Novi**, alia **Veteris Testamenti**: Leges Veteris Testamenti



stamenti, iterum sunt triplicis differentiae; aliae vocantur Ceremoniales, quae certas in Dei cultu ceremonias, & ritus praescribunt; aliae Judiciales, quae circa causas in iudicio versantur; aliae Morales, quae docent, quid sit Juri naturali, & bonis moribus con-vel difforme, ut praeccepta decalogi; haec ultimae scilicet morales adhuc obligant non tam auctoritate Veteris Legis, quam quod ab ipsa natura sint institutae, & passim a Christo Domino renovatae: Judiciales & Ceremoniales cessant teste Apostolo ad *Gal. 3. & 4.* & si quae adhuc videantur perdurare, veluti Lex decimarum, & Sabbathi in Dominicam translati, eae non obligant vi Legis antiquae, sed in vim novae Constitutionis a Christo vel Ecclesia factae. Imo caeremoniae significantes Christum adhuc venturum, ut Circumcisio, esus Agni Paschalis, & similes, pro nunc prohibitae sunt & superstitionis.

3. *Dividitur Lex in Affirmativam, quae bonum praecipit, & Negativam, quae malum prohibet; & quia nunquam est faciendum malum v. g. mendacium, hinc negativa dicitur obligare semper pro semper. Ad bonum autem, quia tantum obligat pro certo tempore v. g. ad audiendum sacrum diebus Dominicis, hinc affirmativa non obligat semper pro semper.*

4. *Dividitur Lex in praecceptivam & poenalem; praecceptiva simpliciter aliquid praecipit, poenalis poenam vel multam injungit: si Legislator ad solam poenam, non autem ad culpam intendat obligare, vocabitur pure poenalis, ut dum solius poenae mentionem facit, v. g. qui isto die ligna collegerit: punietur in duos aureos: si velit obligare ad poenam & culpam mixta vocabitur. Quanam autem leges sint mere poenales, quanam autem mixtae, ex*



verbis Legis & consuetudine, quæ optima Legum  
 interpret est, desumi debet. *Suar. de leg. l. 5. c. 4.  
 num. 8.*

4. 5. *Dividitur* Lex in favorabilem & odiosam, *favorabilis* dicitur, quâ legislator primariò intendit beneficium & favorem eorum, quibus datur, quamvis secundariò redundet in odium vel pœnam: *odiosa* verò primariò intendit quid odiosum vel pœnale, etsi secundariò redundet in favorem, quæ distinctio notanda est, quia *odia restringi, favores convenit ampliari. reg. jur. 15. in 6.*

6. *Denique* si Lex dirigatur ad communitatem, propriè lex dicitur; si ad unum vel alterum privatum, præceptum potiùs vocandum est.

5. QUÆR. II. Quid circa materiam legis humanæ? R. Tenenda esse sequentia. 1. materia legis debet esse honesta & possibilis; quæ enim mala aut impossibilia sunt sub præceptum non cadunt.

2. Leges tam civiles quam Ecclesiasticas in conscientiam obligare posse indubitatum est. Nam de legislatore civili dicitur ad Rom. 13. v. 5. *Necessitati subditi estote, non solum propter iram, sed etiam propter conscientiam*; de legislatore Ecclesiastico habetur Luc. 10. v. 16. *Qui vos audit me audit, & qui vos spernit me spernit.* Item Matth. 18. v. 17. *Qui Ecclesiam non audierit, erit tibi sicut Ethnicus & publicanus.*

3. Lex humana per se loquendo non obligat ad rem valde difficilem, seu moraliter impossibilem, v. g. conjunctam cum periculo vitæ, aut membri mutilandi, cum amissione famæ, aut magnæ partis honorum temporalium &c. Ratio est, quòd legislator humanus non sit Dominus vitæ, famæ aut facultatum subditorum, ideòque de iis disponere non potest, nisi id exigat gravis vel extrema reip.

necess



necessitas; è contra Deus cum sit omnium Dominus, ad suarum legum observantiam cum quovis periculo nos adstringere potest. Et quamvis ita non semper nos adstringat, id tamen non est ex defectu potestatis in legislatore, sicut in humanis, sed ex merâ ipsius bonitate; Dixi *per se loquendo* nam in casu, quo id exigit bonum commune, aut quando legis violatio cederet in contemptum Dei, Religionis, fidei, &c. tunc indubiè leges humanæ etiam cum periculo vitæ, famæ, aut bonorum temporalium obligare possunt, ratio est, quòd bonum commune, fidei aut religionis prævalere debeat bono privato; hinc præcipere potest Episcopus Confessariis, & Magistratus medicis, ut maneat in civitate tempore pestis, hi ut animabus, illi ut corporibus consulant. Item tenetur miles jubente duce cum periculo vitæ hostes aggredi, muros civitatis conscendere, in statione manere propter bonum exercitûs & patriæ.

4. Ut Lex aliqua obliget sub mortali, debet esse de materiâ, quæ secundùm se vel circumstantias considerata sit aliquid notabile, aut notabiliter conducens ad finem præcepti; hinc esus pomi in paradiso, quamvis in se fuerit quid leve, quia tamen notabiliter conducebat ad finem à Deo intentum, scilicet ad præstandum Deo tanquam supremo Domino primum obedientiæ homagium, erat peccatum mortale: Si res præcepta spectato etiam fine & circumstantiis maneat absolutè levis, non potest substare obligationi gravi, ut habet *communis*; quia Lex essentialiter est rationalis & conveniens, videtur autem esse irrationabile & bono communi inconveniens obligare graviter ad materiam simpliciter levem; è contra quamvis materia sit gravis, potest tamen præcipi sub solo veniali, cum enim



fit in potestate legislatoris, illam omninò non præcipere, vel tantum præcipere sub pœna (loquor de re non præceptâ vel prohibitâ lege naturali) cur non sub veniali? voluntas enim legislatoris est anima legis.

6. 5. Actus merè interni per se non cadunt sub præcepto humano aut Ecclesiæ, est *communior cum D. Th. 1. 2. q. 91. a. 4. & q. 100. a. 9.* Ratio est, quòd jurisdictio humana non extendat se, nisi ad actus sensibiles & humano modo cognoscibiles, ideòque *C. sicut de simon.* dicitur Ecclesiam non judicare de occultis, hoc est merè internis. *Dixi per se:* Nam concomitanter seu quatenus actus interni requiruntur ad honestatem, vel valorem actûs externi, utique lege humanâ præcipi possunt, ut docet *communissima*; hoc ipso enim quòd præcipitur confessio, concomitanter præcipitur dolor & propositum, & cum prohibetur homicidium voluntarium, etiam prohibetur interna voluntas occidendi, sine hac enim homicidium non est voluntarium; item cum præcipitur susceptio vel administratio Sacramentorum, vel oratio, per consequens præcipitur intentio, sine hac enim consistere non possunt.

7. QUÆR. III. An & qualiter Lex debeat promulgari?

Re. 1. Lex naturalis saltem quòdam primâ principia non indiget externè promulgari, quia ex interno & naturali rationis lumine satis innotescit.

2. Lex positiva pro tota communitate lata, ut obliget, debet publicè sive scripto, sive per præconem promulgari. *S. Th. q. 90. a. 4.* Cum enim Lex sit communis vivendi regula, debet ita proponi, ut omnibus facillè possit innotescere, non enim requiritur ut singulis intimetur, hoc enim foret moraliter impossibile.

3. Leges



3. Leges Imperatoriæ, ut ubique obligent, in 86  
singulis Imperii provinciis publicari debent, &  
postquam publicatæ sunt, si certum tempus non ex-  
primatur, non obligant, nisi post bimestre, etiamsi  
alicui citius de promulgatione constiterit. *Novel.*  
*66. c. 1. Suar. Pirhing. L. 1. decret. tit. 2. num. 26.*  
*Engel. Rob. Konig. ibid. num. 20. Krimer num. 121.*  
*Schmalzg. num. 27.*

4. Quamvis Leges Pontificiæ causas beneficiale  
concernentes statim à die publicationis in cura Ro-  
manâ factæ, vim suam habeant, ut secundum eas  
causæ in curia decidi debeant, leges tamen quæ  
conscientiam concernunt, & pro totâ Ecclesiâ, vel  
pluribus provinciis latæ sunt, ut leges circa censu-  
ras Ecclesiasticas, circa jurisdictionem Confessa-  
riorum, & similes, valde probabiliter non obligant  
nisi in singulis diœcesibus promulgatæ, idque tan-  
tum post bimestre à facta publicatione, nisi aliter  
in ipsis decernatur, qualiter decernitur in *Triden-*  
*tino*, ut irritatio matrimonii clandestini primum  
post triginta dies à die promulgationis factæ in Pa-  
rochia vim habeat, *Sot. Angel. Medin. Nav. Mol.*  
*to. 2. disp. 395. & 995. Engel. L. 1. decret. tit. 2.*  
*à num. 6. Konig loc. cit. Gibalin. to. 2. L. 7. c. 2.*  
*q. 1. num. 7. Marsh. Sannig de leg. to. 3. dist. 3. q. 6.*  
aliique apud *Reiffenst. tr. 2. dist. 1. n. 26.* contra  
*Laym. Pirhing. loc. cit.* & alios sustinentes leges  
Pontificias hoc ipso obligare, quod cognoscantur  
Romæ esse promulgatæ. Ratio est 1. quia stan-  
dum est Jure Civili, ubi Jus Canonicum aliud non  
statuit, ergo cum Jure Civili ad legis obligatio-  
nem requiratur publicatio in singulis provinciis, &  
dilatio duorum mensium, ac Jus Can. de lege Ec-  
clesiasticâ aliud non statuat, idem ad hanc requi-  
retur, 2. Pius IV, in Bulla super observantiâ Tri-  
den-

den-



de iure dicit: *Jure communi sancitum est, ut Constitutiones novæ vim non nisi post certum tempus obtineant.* Cum ergo illud tempus non sit determinatum Jure Canonico, ex Jure Civili ad duos menses determinandum erit, & quia duo menses non sufficiunt, ut publicatio Romæ facta omnibus possit innotescere, requiritur publicatio in omnibus diœcesibus, idque de lege irritante aut auferente jurisdictionem v. g. Confessarii in ordine ad Sacramentum pœnitentiæ admittit *Laym. L. 1. tr. 4. c. 2. n. 7.* alioquin contrarius, & c. 3. n. 3. dicit non esse damnandum culpæ aut pœnæ eum, qui legem Pontificiam in sua diœcesi non promulgatam, nec usu receptam non servat.

9. 5. Quod ad leges inferiorum Principum, vel Episcoporum, sufficit, eas in principaliori aliquo loco publicè promulgari, & statim à promulgatione etiam ante lapsum duorum mensium, nisi aliter statuatur, obligabunt omnes notitiam habentes, & de his intelligitur *c. 1. de postul. Pral.* ubi dicitur: *Sufficit, ut ad Constitutionis observantiam teneatur, qui noverit eam solenniter editam.* *Engel. Laym. loc. cit.*

- 10 QUÆR. IV. Quid circa acceptationem vel receptionem legum?

*Re. Sequentia.* 1. Subditi in conscientia tenentur acceptare legem justam sive Civilem, sive Ecclesiasticam. Est nunc certum ex Prop. 28. ab Alex. VII. damnata: *Populus non peccat, etiamsi absque ullâ causâ non recipiat legem à Principe promulgatam.* Ratio est, quòd de lege naturæ subditus Superiori legitimè mandanti teneatur obedire, si enim voluntate, & non necessitate parent, jam cessat vinculum obedientiæ, & hoc ipso desinunt esse subditi. Deinde non acceptare legem justam Superioris

est



est resistere potestati à Deo ordinatæ: *Qui autem resistunt, ipsi sibi damnationem acquirunt.* Ad Rom. 13.

2. Et si peccent qui legem rationabilem sine causa non acceptant, si tamen legislator id sciat, & receptionem non urgeat, censetur legem revocare, vel saltem lex post decennium erit præscripta.

3. Principes mediati vel Episcopi obligantur summi Principis, vel Papæ mandata in suis provinciis promulgare, eorumque acceptationem, & observantiam urgere: id enim exigit bonum commune, & illorum subjectio.

4. Si populus putet, se habere justum gravamen **II** contra legem, poterit appellare, si legislator Superiorem habeat; si verò independens, vel Supremus fuerit, per supplicam rogandus erit pro mitigatione vel revocatione legis; pendente verò appellatione, vel supplicatione, obligatio legis suspendetur saltem ex præsumpto piæ Matris Ecclesiæ, vel Principis consensu, & ita habere praxin docent plures Theologi apud *La Croix L. 1. n. 639.* & *Sanning. q. 7. n. 4.* Quòd si Superior auditâ appellatione, vel supplicatione taceat, hoc ipso censetur legem remittere, nisi aliunde constaret, quòd taciturnitas esset per modum indignationis, & repulsæ; ut si Superior non obstante supplicatione urgeret ejus executionem; tunc enim potius firmatur, quàm revocatur lex, eritque observanda etiam si sit dura, modò non superet infirmitatem humanam. In dubio an lex sit justa, præsumptio est pro lege.

5. Si subditi scienter acceptent legem de se invalidam, eò quòd sit contra eorum jus, cui efficaciter renunciare possunt, lex fiet firma; si verò Legislator excedat limites suæ potestatis v. g. Princeps

ceps



ceps laicus vult inducere diem festum, vel citare Clericum, lex manebit infirma quamvis acceptetur. Ratio est quia Legislator tunc non habet potestatem condendi ejusmodi legem, nec acceptantes potestatem tribuere possunt. *DD. cit.*

12 QUÆR. V. Quid circa consuetudinem?

*Re. Sequentia.* 1. Consuetudo est jus diuturnis moribus, & tacito populi consensu introductum, unde patet causam consuetudinis esse mores, & actus populi sæpè repetitos.

2. Ut consuetudo habeat vim legis, debent hi actus esse frequentati animo introducendæ consuetudinis, vel obligationis, nam consuetudo orta ex actibus meræ devotionis, liberalitatis, aut gratiæ; nullam inducit obligationem, hinc licet populus sæpè det eleëmofynas, ad pulsam Angelicum preces persolvat, aquam benedictam in introitu Ecclesiæ percipiat: multoties aliquem ad mensam invitet, nulla tamen inde oritur obligatio; quia hi actus non fiunt animo se obligandi. In præsentia censetur consuetudo animo obligandi introducta si à majore parte populi sollicitè, & cum difficultate observetur, sitque de re valde utili bono communi; si prudentes malè sentiant de transgressoribus; si Superiores sub pœnâ ejus observantiam urgeant; extra has vel similes circumstantias, & in dubio, consuetudo potiùs habenda est pro voluntaria & supererogatoria, quàm pro obligatoria, sicut in dubio, an verba vel voluntas Superioris contineant mandatum, vel purum monitum, præsumitur monitum, nam *in obscuris quod minimum est sequimur, reg. jur. 30. in 6.*

3. Nulla consuetudo præscribere potest contra legem naturalem vel divinam, quia hæ leges non deper-



dependent à voluntate subditorum vel Legislatoris humani, ut clarum est.

4. Certum est, quòd consuetudo abrogare, & 13  
 quasi præscribere possit contra legem humanam; ad hoc tamen requiritur 1. ut sit introducta animo legem abrogandi; actus enim non operantur ultra intentionem agentium, *L. 19. ff. de reb. cred. 2.* Requiritur consensus Superioris vel *personalis*, qui datur ab ipso Legislatore sciente consuetudinem, eamque tacitè vel expressè approbante, vel *legalis*, seu *generalis*, qui datur per legem vel jus generaliter approbans consuetudinem rationabilem, etsi Legislator ignoret hic & nunc agi contra legem suam; hunc legalem consensum sufficere cum communiori docet *Suar. L. 7. de leg. c. 13. num. 6. Engel L. 1. tit. 4. n. 19. Rob. Konig. ib. num. 17. Schmalzgrub eod. tit. num. 15. contra Laym. Pirhing &c.* Ratio est quia jura plus non requirunt, quàm ut consuetudo sit rationabilis & præscripta, ut patet ex *c. fin. de consuet. L. 32. L. 35. ff. de leg. præscriptio* autem contra ignorantem procedit: & moraliter est impossibile, ut Papa vel Legislator sciat omnia statuta, & consuetudines locorum, & tamen non omnes improbantur. 3. Ut consuetudo contra legem prævaleat, requiritur tempus legitimum, & quidem contra legem civilem sufficere decennium, admittunt plerique, contra leges verò Ecclesiasticas antiqui requirunt 40. annos, quia hoc tempus requiritur ad præscribendum contra Ecclesiam. Econtra *Palao Less. Lugo de just. dis. 7. num. 94. Hann. Sanning dis. 4. q. 1. n. 5. Reiffenstuel L. 1. tit. 4. à n. 105. Schmalzgr. n. 9.* veriùs dicunt, consuetudinem decennalem etiam sufficere ad abrogandam legem Ecclesiasticam, idque cum malâ fide, & scientiâ legis, *Bonac. Suar.*

*Suar.*



*Suar. c. 18. n. 14. Lug. n. 96. Eng. num. 15.* Ratio est, quia hic non est propriè præscriptio, aliam enim nec sufficeret decennium ad abrogandam legem Principis sæcularis, & contra legem Pontificis Rom. requirentur 100. anni, quia tot requiruntur ad præscriptionem contra Ecclesiam Rom. Itaque consuetudo abrogat legem propriè ex consensu Legislatoris, qui legem remittere potest, etiam iis, qui per decennium scienter & malâ fide contra eam operantur, & consuetudo non abrogat legem nisi introducta cum animo legem abrogandi; sed non potest adesse animus legem abrogandi, quin adsit scientia legis seu mala fides, ergo.

5. Si lex expressè improbet omnem consuetudinem etiam consequentem legi contrariam, sicut improbat omnem consuetudinem contra immunitatem Ecclesiasticam, nulla consuetudo contra istam legem prævalere poterit, nisi ex post cessent circumstantiæ, propter quas consuetudo adversa legi reprobatur. *Palao Schmalzg. n. 23.* vel advenit causa à Legislatore non prævisa. *Eng. n. 15.* Ex dictis.

14 *Deduces seqq.* 1. Si Papa aut Princeps dubiè, vel invalidè electus, vel etiam intrusus, ab Ecclesia aut republica nondum sit receptus, vel toleratus, ejus leges non obligant subditos; quia libertas subditorum ante electionem erat in certa possessione, à qua per dubiam vel invalidam electionem non ejiciuntur; si verò pacificè tolerentur, hoc ipso habentur pro legitimis incipiuntque eorum leges obligare *Sanch. Spor. in decal. L. 1. c. 1. n. 95.* Si tamen leges Papæ tantùm sint promulgatæ Romæ, & non in partibus hisce, probabiliter hic non obligor, etiamsi certus sim de promulgatione facta Romæ. Excipe nisi leges Pontificiæ contineant

mate



materiam Fidei, vel Jure naturæ obligantem; tunc enim indubitatum est omnes notitiam habent, & statim obligari ex lege altiori; & quamvis de stylo Curia Romanæ Papales Bullæ Romæ publicatæ dicantur habere vim ubique obligandi; hoc tamen probabiliter solum obtinet circa causas beneficiales, & similes in quibus Summ. Pontifex liberam potestatem habet, non vero circa ea, quæ proximè conscientiam contingunt; hæc enim debere in partibus publicari docent *AA. cit. nu. 8.* & colligitur *arg. c. tum infirmitas 13. de pœn.*

2. Declarationes Cardinalium S. Congregationis, quamvis sint magnæ authoritatis, non tamen habent vim legis, nec obligant in conscientia, nisi à Papa sint examinatæ, & approbatæ, tunc enim immediatè censentur exire à Papa, nec requiritur, ut ejusmodi declarationes legaliter promulgentur sed sufficit, quòd ex fama vel aliter de iis certò moraliter constet; cum enim non faciant novam legem, sed tantum explicent antiquam, satis est antiquam semel fuisse promulgatam. *Lezana, Zypaus, Eng. proem. n. 16. Reiffenst. ib. num. 130.* & indubitato habere vim legis, si de mandato Papæ legitimè promulgentur, docet *Schmalzg. dissert. proem. nu. 375.*

3. In dubio an sit lex, non præsumitur, nisi probetur: & legem incertam non obligare probavi *cas. 3. n. 12.* in dubio an sit promulgata, præsumitur non esse, nisi fortè constaret, illam aliquando fuisse usu receptam, tunc enim merito præsumeretur promulgata fuisse, ex communiter enim contingentibus prudens est præsumptio, atqui communiter contingit, ut leges usu non recipiantur, nisi sint promulgatæ, ergo. *Viva opusc. 2. q. 4. a. 1.* Nec obstat, quòd promulgatio sit quid facti, nam facta etiam

E

pru

R. D. Jansen Theol. Moral. Tom. I.



prudenter præsumuntur ex iis, quibuscum communiter conjungi solent. In dubio an lex sit recepta, attendenda est praxis timoratorum: si de hac constare non possit, & lex sit talis, ut ejus valor pendeat ab acceptatione populi, ut multæ leges civiles, præsumitur non recepta, quia dubitatur de ejus essentia: si ejus valor non dependet ab acceptatione populi, præsumitur recepta, quia supponitur legis essentia, & tantum dubitatur de accidente, ergo lex est in possessione contra libertatem: in dubio, an lex vel consuetudo obliget sub mortali, vel veniali, an verba Superioris contineant mandatum, vel purum monitum, si dubium ex modo præcipiendi, ex iudicio, & praxi prudentum, quæ optima legum est interpretis, resolvi non possit, nec legislator interrogari, standum est pro obligatione levi vel puro monito. *Juxta reg. 1. cit. in obscuris, quod minimum est, sequimur.* Si lex est certa, & causa excusans sit dubia, manet legis obligatio: neque enim per excusationem dubiam eximitur quis à lege certa, ut habet *communis*; quia lex manet in possessione: in dubio an lex sit justa, est præsumptio pro lege, & Superiore, tum quia Deus Superioribus specialiter assistit, tum quia bonum commune tunc exigit obedientiam, tum quia Superior est in possessione autoritatis imperandi. *vid. Vivam opusc. 2. q. 4. a. 3. Renz. art. 7.*

18. 4. Si lex est certa, & negativè dubites, id est, non habeas grave motivum judicandi, quòd satisfeceris legi, omnes dicunt te obligari lege, quia lex est in possessione, & legi certæ non satisfit per solutionem incertam. Si verò dubites positivè, seu habeas motivum probabile, quòd satisfeceris legi, probabiliter non obligaris lege, quia habes motivum grave judicandi, quòd satisfeceris legi, & obligatio legis



legis respectu tuū tunc est incerta, utpote quæ probabiliter est sublata, lex autem incerta non obligat ita *La Croix L. 1. n. 600.* Quid autem sit probabilius, non resolvit, itaque dico, quòd probabilius non sit absolutus à lege, qui tantum probabiliter satisfecit legi, idque vel maximè, si probabilitas sit in utramque partem, v. g. certus sum me admisisse grave furtum, & in utramque partem positivè dubito, an sim, vel non sim confessus, probabilius adhuc confiteri teneor: idem est, si certò contraxi debitum, & probabiliter tantum iudicem me satisfecisse. *Sanch. Rebell. Vasq. Bardi de consc. disc. 6. c. 9. §. 16. Lugo de just. d. 18. num. 12. Dicast. de rest. d. 5. num. 202. contra Tanner. Schildere de consc. t. 2. num. 92.* Probat 1. Certum est existere generalem legem solvendi debitum, confitendi peccata mortalia: utprimùm ergo contraxi debitum, vel admisi mortale, certus sum, quòd lex me obliget, quia tunc nullum adhuc existit dubium aut probabilitas de satisfactione, & probabilitas ex post superveniens de solutione vel satisfactione præstitâ, non potest prævalere contra obligationem jam ab ante certò existentem. Prob. 2. In æquali probabilitate prævalet illa pars, pro quâ est possessio, sed lex confitendi, & solvendi est in possessione, non enim ab illâ ejicitur per satisfactionem probabilem, sicut ab agro justè possesso non ejicitur per jus alterius probabile, ergo. *Si dicas,* satisfactio probabilis facit ut lex confitendi & solvendi non sit amplius certa: *Contra est,* saltem lex confitendi furtum certò extitit, ideòque pro ipsâ est præsumptio & possessio, usque dum certò probes, ei esse satisfactum; sicut est præsumptio pro agro à me bonâ fide possesso, usque dum certò probes agrum esse tuum. Et sicut certa possessio agri non eliditur per rationem probabi-



babilem, quòd ager sit tuus, sic & certa legis possessio non eliditur per satisfactionem probabilem.

3. In pari causâ melior est conditio possidentis, idque non tantùm in materiâ juris, sed & in materiâ aliarum virtutum, ut cum communiore ostendi, *Cas. 2. n. 5.* & Ratio est, quia ipsa possessio est aliqua præeminentia, propter quam in pari causa præferri debet possidens, ergo etiam lex possidens saltem in pari probabilitate præferri debet.

4. Si sint duo horologia probabilia, & in uno sonuerit duodecima noctis, & non in altero, manet obligatio orandi, quia lex certa orandi est in possessione, & excusatio ob sonitum duodecimæ est tantùm probabilis, ut in terminis habet ipse *La Croix n. 586.* ergo & in aliis casibus, quando tantùm est probabilitas satisfactum legi, est obligatio satisfaciendi, & lex manet in possessione.

5. Si quis positivè dubitet de valore matrimonii bonâ fide contracti, tenetur lege matrimonii, eò quòd matrimonium sit in possessione, ergo & hic.

6. Confessio & solutio sunt quid facti, sed factum in dubio non præsumitur, ut patet ex *Cas. 2. n. 9.*

7. Qui tantùm probabiliter solvit debitum, condemnaretur in foro externo, ergo etiam in foro interno non est liber; quia forum internum debet concordare foro externo, nisi appareat, quòd externum fundetur in falsâ præsumptione. *Neque obstat*, quòd debitor etiam sit in possessione suæ pecuniæ, nam dubium non versatur immediatè circa ipsam pecuniam, cujus sit, sed circa jus petendi debitum, an sit; nam qui ex pœnitentia, vel voto debet eleemosynam, & negativè dubitat, an dederit, etiam possidet suam pecuniam, & tamen in illo dubio non stat possessio pro ipso, ut fatentur omnes, sed pro obligatione pœnitentiæ, & voti, quæ semel extitit, & non probatur



tur extincta, ut dicam *Cas. 68. à n. 7. Si Dicas 1.* Quod debito justitiæ non satisfiat per solutionem probabilem, ex eo est, quod homines sint inviti, quominus debito certo satisfiat per solutionem incertam, econtrà de benignitate Dei & Ecclesiæ meritò præsumitur, quòd plus non requirant, quàm ut homo prudenter & ex gravi seu probabili motivo judicet se legi satisfecisse. *Contra est.* Hoc universaliter præsumi non potest, estque planè incertum; & plerique DD. negant Deum aut Ecclesiam esse contentam satisfactione probabili, ubi de certitudine legis constat: aliud est, si ipsa existentia legis sit incerta aut solùm probabilis, tunc enim libertas foret in possessione secundum dicta *Cas. 2. n. 8. & seq. Cas. 3. n. 11. & seq.* *Si Dicas 2.* Ergo ferè nunquam licebit sequi sententiam minùs probabilem aut etiam probabiliorem contra legem, quia illam sequendo solùm probabiliter satisfacio legi. *R. N. C.* Nam id semper licebit, quoties existentia legis est incerta, aut solùm probabilis, vel est incertum, legem se ad hunc vel illum casum extendere; Ratio est: quia tunc Lex non est in possessione, utpote quæ nunquam certò extitit, sed libertas; contra quam dubia legis existentia prævalere non potest.

5. Si leges tempus nullum determinent, ut pri- 20  
mùm commodè possunt, impleri debent, *reg. 14. ff. de reg. jur.* Si verò certum tempus, horam vel diem determinent, veluti lex recitandi horas Canonicas ab unâ duodecimâ noctis ad alteram; lex jejunandi ab anno ætatis 21. completo; lex non suscipiendi Subdiaconatum ante annum vigesimum secundum inchoatum, communis est sententia, & omnium Fidelium sensus hoc tempus accipiendum esse de momento ad momentum, non quidem mathematicè, quia momenta mathematica à nobis



non sunt cognoscibilia, eò quòd ignoremus, quòd punctum temporis imaginarii præcisè sol attrigerit, sed Ecclesiasticè, ita, ut nos regulemus juxta Calendaria approbata, & horologia communiter bene regulata: si alicubi plura sint hujusmodi horologia, possum sequi quodlibet, non tamen cum certâ violatione alicujus legis, ut explicavi *Cas. 3. n. 22.* Ratio est consuetudo Ecclesiæ, quæ est optima legum interpretres, & aliter non possemus scire, quando præcisè inciperet vel desineret obligatio ejusmodi legis.

## C A S U S VI.

De subjecto Legum, seu de iis, qui legibus obligantur, item de abrogatione, derogatione & dispensatione Legum.

**F**Remundus Princeps à suo Confessario quærit  
 1. An teneatur propriis legibus. 2. Quid in statu Aristocratico & Democratico. 3. An Clerici obligentur Lege Principis? quid de Lege præjudicante immunitati Ecclesiastica. 4. An legibus obligentur infideles, heretici. 5. Ebrii, pueri. 6. Amentes. 7. An peregrini obligentur legibus locorum, per quæ transeunt. 8. An legibus communibus. 9. An gaudeant privilegiis loci, in quo sunt. 10. 11. An obligentur legibus sua patria? an Religiosi ubique suis Regulis. 12. Quid de exeunte è loco obligationis ad locum, ubi non est obligatio. 13. Quid si suo loco poterat satisfacere legi v. g. audire Missam, an non audit à possit exire. 14. Quid de eunte ex loco, ubi non est obligatio ad locum, ubi est obligatio. 15. An liceat ponere impedimentum legi. 16. Quid si ideo ponatur, ut quis excusetur à lege. 17. Quid de lege naturali & divina.



18. An sit obligatio removendi impedimentum aliunde positum. 19. Quid de eo qui ponit rem preceptam absque animo satisfaciendi. 20. Aut eodem tempore aut eodem actu pluribus satisfacit legibus. Quid de abrogatione & derogatione legis. 21. Dispensatione. 22. & 23. An dispensare secum quis possit. 24. Quid de Legis interpretatione, *Apekà. n. 25. Epikià. n. 26.*

QUÆR. I. Quinam obligentur Lege?

R. Leges non obligant, nisi subditos; hinc

I.

1. Legislatores non obligantur propriis legibus, neque quoad vim coactivam, ita ut incurrat pœnam à se statutam, uti fatentur omnes, neque directè quoad vim directivam, seu in conscientia, maximè in iis, quæ ejus statum vel auctoritatem dedecent; ut si lex prohibeat portare arma, vel pretiosas vestes: Ratio est: quia etiam vis directiva ex jurisdictione oritur, quam quis in seipsum non potest exercere, cum nemo respectu sui possit esse Superior simul, & inferior: deinde talis obligatio esset inutilis; cum enim obligatio legis pendeat à voluntate Legislatoris, toties posset eam tollere, quoties legem observare nollet, in aliis verò, quæ Legislatorem ipsum non dedecent, tenetur & ipso suis parere legibus, non quidem vi propriarum legum, sed ex dictamine rectæ rationis, quâ Princeps tanquam caput tenetur se conformare reliquo corpori: minùs tamen, & secluso scandalo ac turbatione populi, plerumque tantùm venialiter peccat Princeps propriam infringens legem: Ratio est, quòd tantùm videatur esse levis deordinatio, quòd tanquam caput se hic, & nunc non conformet reliquo corpori. *Bonac. Less & alii.*

2. In statu Aristocratico, ubi Optimates dominantur, & in statu Democratico, ubi potestas est penes ceterum populi, quilibet ex Optimatibus, &

2.



ex populo directè obligatur publicatis legibus, quia quilibet ex Optimatibus & popularibus est verus subditus respectu totius cætûs tum Optimatum in statu Aristocratico, tum populi in statu Democratico.

3. 3. Clerici non obligantur directè legibus Principis vel Magistratûs sæcularis, quia hi nullam in illos vel illorum bona etiam patrimonialia (ut bene notat *Engel. lib. 1. tit. 2. n. 35.*) jurisdictionem habent: aliud est de bonis feudalibus, quæ non absolute, sed sub certis reservationibus, & salvo Jure feudali in Clericos transeunt: itaque ad leges civiles Clerici tantùm obligantur indirectè ex æquitate vel decencia naturali, vi cuius pro bono pacis una pars communitatis tenetur se conformare reliquis, debent tamen ejusmodi leges esse necessariæ pro bono communi, & non adversari Ecclesiasticæ immunitati, veluti lex de non vendendis frugibus extra patriam, de non admittendis peregrinis mercibus &c. Clerici has leges transgredientes plerumque tantùm peccant venialiter, nisi adsit scandalum, damnum tertii, vel Reip.; aut leges simul sint juris naturalis, ut servare jura contractuum, taxas mercium; tunc enim Clerici æquè obligantur quàm alii *Azor, Suar. de leg. L. 3. c. 34. num. 15.* Nunquam tamen ob transgressionem à laici puniri poterunt v. g. per confiscationem frugum, vel mercium, quia à juri dictione eorum, præsertim coactiva, sunt planè exempti; Inò si Superiores laici ferant leges immunitati Ecclesiasticæ præjudicantes, quibus v. g. Ecclesiæ vel loca pia fiunt inhabilia ad acquirendas possessiones, vel bona immobilia, hæ leges erunt illicitæ & irritæ, nec non ferentes incurrunt excommunicationem latæ sententia.



sententia ab Honorio III. C. *Noveritis de sent. exc.*  
 qua confirmata est à *Trid. sess. 25. c. 10.*

4. Catechumeni, Judæi, aliique infideles, etsi 4.  
 obligentur legibus civilibus suorum Principum,  
 non tamen Ecclesiasticis, quia nondum sunt sub-  
 jecti Ecclesiæ per baptismum; aliud est de hæreti-  
 cis legitime baptizatis.

5. Ebrii & habentes lucida intervalla manent 5.  
 subditi legibus, quamvis per accidens non pec-  
 cent, eas infringentes ob defectum rationis; hinc  
 peccant qui eos inducunt ad eorum transgressio-  
 nem offerendo v. g. die Veneris carnes; Econ-  
 tra offerendo eas pueris ante septennium non pec-  
 catur, quia pueri ante illam ætatem probabilius  
 nondum sunt subditi legibus humanis, quæ serun-  
 tur humano modo; ideòque pro iis tantum qui  
 habent usum rationis, qui ante septennium non  
 præsumitur, eò quòd leges positivæ attendant ad ea,  
 quæ plerumque contingunt. *L. nam ad ea ff. de leg.*

6. Perpetuò amentes etsi non obligentur legi- 6.  
 bus humanis, tamen subditi sunt legibus naturæ,  
 hoc ipso, quòd participant naturam rationalem;  
 hinc quamvis ipsi per accidens ratione uti non va-  
 leant, peccant tamen qui eos inducunt ad transgres-  
 sionem legis naturalis, v. g. ad blasphemandum,  
 fornicandum &c. quia cum hæc sint intrinsecè ma-  
 la, tribuuntur principali libero agenti, qui amentis  
 operâ velut instrumento utitur; econtra non esse  
 illicitum iis offerre carnes, vel iis die festo opera ser-  
 vilia imponere, docet *Laym. L. 1. t. 4. c. 12. num. 3.*  
 eò quòd non sint subditi legibus Ecclesiæ, ideòque  
 non videatur esse malum causare, ut id faciant, quod  
 nullâ lege iis prohibitum est. Quòd ad esum carnis  
 consentio; quòd ad opera servilia puto peccare eum,  
 qui ea die festo perpetuò amenti imponit saltem suo

E s

nomi



nomine in suam utilitatem, tunc enim censetur ipse imponens per amentem tanquam per instrumentum vivum laborare: sicut ergo peccat, qui per equum, bovem, vel asinum tanquam per instrumenta laborem servilem diebus festis exercet, quamvis certum sit jumenta nulli legi esse subiecta sic à potiori, qui per amentem: aliud est de edendo carnis, nam eas offerens non censetur per amentem edere, secus qui facit eum in suū commodum laborare.

7. QUÆR. II. An peregrini & viatores obligentur legibus locorum, per quæ transeunt?

¶. Peregrini & viatores regulariter non obligantur specialibus illorum locorum præceptis, per quæ transeunt. *Sayr. Less. L. 4. de iust. c. 2. n. 44. Laym. & quodam peregrinos consentit Sanch. L. 1. moral. c. 12. Diana, Sannig, de leg. dist. 3. q. 8. n. 9. Ant. Herman. Thes. 5. Eng. n. 31.* Unde si in talis loco sit spectale festum vel jejunium, non tenentur audire Missam vel jejunare: Ratio est, quia nullo modo sunt subditi talis loci, vel Superioris, neque ratione originis, domicilii, contractus, vel delicti, ergo ejus legibus non obligantur, sed solum communibus.

*Dixi 1. regulariter*, quia peregrini utique tenentur servare leges, & solennitates contractuum, quia contractus sortiuntur forum loci in quo celebrantur, *c. fin. de for. comp. L. 19. ff. de jud.* Item tenentur servare leges, quarum violatio cederet in scandalum aliorum, in damnum vel injuriam loci, in quo existunt: hinc non licebit illis inducere contra prohibitionem evehere, vel illuc inferre frumenta, merces, portare arma prohibita, vendere supra statutum pretium &c., exigit enim æquitas naturalis, ut, qui in alieno loco sentiuntur



commodum transitus, etiam sentiant onus legum  
necessariorum pro conservatione loci: ex hoc ca-  
pitate viatores etiam tenentur solvere pedagia, vecti-  
galia. *AA. citt.*

*Dixi 2. Specialibus illorum locorum preceptis:* 8.  
nam legibus communibus utique obligantur, eti-  
amsi forsitan illæ in suo territorio non sint receptæ,  
vel contrario usu abrogatæ, unde Belga, cui in  
sua patria licitum est diebus Sabbathinis inter Nati-  
vitatem Christi & Purificationem B. M. V. come-  
dere carnes, existens istis diebus Colonia tenetur  
abstinere ex communi lege Ecclesiæ, *communis cum*  
*Laym. de leg. c. 12. n. 3.* & Ratio est, quod in sua pa-  
tria tantum excusetur per consuetudinem, quæ ut-  
pote contra jus commune, est odiosa, & restringitur  
tantum ad locum, in quo viget, sicut statutum aut  
privilegium locale *arg. c. 2. de Constit. in 6.*

*Dixi 3. locorum per qua transeunt,* nam si per 9.  
majorem partem anni intendant ibi manere, jam  
à prima hora tenebuntur ad statuta talis loci, quia  
per quasi domicilium facti sunt subditi. Econtra  
quamvis peregrini non teneantur statutis speciali-  
bus locorum, attamen privilegiis, consuetudini-  
bus, aut statutis favorabilibus illorum locorum, per  
quæ transeunt, uti possunt; hinc Germanus tran-  
siens per Belgium poterit antedictis diebus Sabba-  
thinis ibidem comedere carnes, & apud Hispanos  
intestina; item in loco, ubi quadragesima juxta  
novum Calendarium est absoluta, non jejunare, etsi  
in loco sui domicilii adhuc jejunetur. *Sanct. L. 1. o*  
*mor. c. 12. Less Bonac. Reiffenst. n. 40. La Croix L. 3.*  
*p. 2. n. 1271.* Econtra si in loco sui domicilii quadra-  
gesimam absolvit, non tenetur jejunare in loco, ubi  
existit, etiamsi ibi quadragesima adhuc perduret,  
modò absit scandalum. *DD. citt.*

QUÆR.



10. QUÆR. III. An peregrinus obligetur legibus suæ patriæ, quando alibi est, ubi illæ non vigent?

R. Regulariter non obligari *Suar. c. 32. Engel. König. L. 1. t. 2. Et ibid. Schmalzg. n. 41. Herman. Thes. 4.* Ratio est, quòd statuta localia cohæreant loco, nec extendantur ultra territorium statuentis etiam respectu subditorum, *c. 2. de Constit. in 6.* Unde si in tua patria sit dies festus vel jejunium, alibi existens, ubi jejunium, vel festum secundum Jus commune non est, non teneris jejunare vel audire Sacrum, nec Clericus extra Diœcesin existens tenetur lege sui Episcopi, quâ v. g. prohibet lusum chartarum.

11. *Dixi regulariter*, nam si transgressio statuti vergat in detrimentum loci, vel injuriam Magistratûs, aut Principis, etiam extra territorium obligabuntur subditi, ut si statutum sub certâ pœnâ prohibeat de Principe loqui injuriosa, aut præcipiat Clericos etiam absentes comparere in Synodo, vel cives in Magistratu: idem à potiori tenet de religiosis, qui non ratione territorii, sed ratione obedientiæ suis Superioribus subiecti sunt, ideòque eorum statutis & mandatis ubicunque terrarum obligantur, quin & in alieno territorio citari, excommunicari, & propriâ authoritate capi possunt. *Sylvest. V. excommunicatio num. 15.* Ex dictis

12. *Deduces seqq. 1.* Qui bonâ fide vel negotiorum causâ abire è loco in quo erat obligatio v. g. jejunii vel audiendi Missam, ad locum, in quo non est talis obligatio, excusatur ab his: Si verò ideo exeat ut se à lege eximat, plures dicunt eum manere obligatum lege, eò quòd fraus ei non debeat patrocinari, *c. Sedes, Et c. ex tenore de rescript.* sed probabilius est, eum excusari, quia utitur jure suo; lex enim non prohibet exire è loco, sed tantum præci-



pit, ut observetur ab iis, qui existunt in loco, nec  
 fraus ei patrocinetur, quòd solùm improbant cit.  
 textus, sed conditio loci, & nullus videtur dolo  
 facere, qui iure suo vitatur. Reg. 15. ff. de reg. juris.  
 Salmantic. Illung. t. 1. d. 2. n. 32. Mezger in 1. 2. d.  
 35. a. 5. n. 27. Schmalzg. l. c.

Si dicas, qui obligatur lege, etiam obligatur non  
 ponere impedimentum legi, aliàs enim non pecca-  
 ret, qui tempore audiendæ Missæ se voluntariè  
 componit ad somnum.

2. Qui ideo exit ad locum, ubi *Trid.* non est re-  
 ceptum, ut ibidem clandestinè matrimonium con-  
 trahat, matrimonium in fraudem legis contractum  
 est illicitum & invalidum, ergo.

¶ Manente lege est obligatio non ponendi im-  
 pedimentum legi C. lege non manente N. exiens  
 ad locum, ubi non est lex, facit respectu suò non am-  
 pliùs esse legem, statutum enim locale cohæret lo-  
 co, sicut igitur malum non est, petere dispensatio-  
 nem, vel rogare Superiorem, ut tollat legem, sic nec  
 malum est exire ad alium locum, & facere, ut re-  
 spectu suò non sit lex.

Ad 2. Quòd matrimonium ejusmodi sit illicitum,  
 & invalidum, est ex speciali decreto Urbani  
 VIII. ut dicam *cas. 110. n. 12.*

2. Qui cogitat exire è suo territorio, in quo est  
 lex audiendi v. g. Sacrum, si tanto tempore ibidem  
 existat, ut commodè possit audire, habeatque occa-  
 sionem audiendi, tenebitur audire: probabile ta-  
 men etiam est, quòd si plures Missas potuisset au-  
 dire v. g. unam horâ octavâ, alteram horâ undeci-  
 mâ, neglecto omni sacro possit exire ante horam  
 undecimam, quia poterat differre auditionem  
 Missæ usque ad undecimam, & tunc petere dispen-  
 sationem à lege, quam, ut suppono, novit se impe-  
 tratu-

tratu-



traturum, ergo etiam poterit tunc exire è loco, & ponere se in statu, in quo non est lex. *Sanch. Responst. num. 36. Herman, pag. 38.* Sed prior sententia uti est magis pia, & tuta, ita & in praxi suaderenda: si unicum tantum est Sacrum v. g. horâ octavâ & adhuc existas in loco, certum est juxta omnes obligari, quamvis statim post Sacrum velles exire, quia manes subditus statuto locali, illo tempore quo necessariò erat implendum.

14. 3. Discessurus ex loco, ubi non est obligatio jejunii vel abstinentiæ, potes ibi non tantum plene refici, sed & vesci carnibus: si tamen eodem die venias ad locum, ubi est jejunium, distinguendum est, vel enim iste locus est locus tui domicili, & tunc non potes secundò refici, minùs vesci carnibus, quia es subiectus legibus loci; si es in loco peregrino, non teneris speciali jejunio istius loci, bene tamen jejunio communi totius Ecclesiæ.

15. QUÆR. IV. An & qualiter peccet qui facit se impotentem ad implendam legem, vel qui ponit impedimentum legi implendæ? R. id decidere est difficillimum; in praxi tenenda sunt seqq.

1. Pleræque leges humanæ non obligant, ut alii quot diebus antecedenter non ponatur impedimentum: Ratio est communis usus & interpretatio, de quibus constat Legislatoribus, hinc non peccat, qui die Sabbathi iter, vel etiam venationem aggreditur, prævidens, se altero die non posse audire Sacrum; nec peccat contra religionem vel jejunium, qui per nimium potum prævidet post alios quot dies se non posse jejunare, audire Missam, legere horas &c.

16. Dixi 1. Qui prævidet; nam qui ideo ponit impedimentum, ut excusetur à lege v. g. projicit vel donat alteri breviarium etiam aliquot diebus anteceden-



cedenter, ut non teneatur orare, peccat contra præceptum orandi horas; quia fraudulenter agit contra legem in actu primo obligantem. Aliud est de eo, qui idcirco de loco exit, vel dispensationem petit, ut à lege eximatur, quia per alium locum vel dispensationem respectu ipsius tollitur lex, per consequens nec in actu primo eum obligat.

*Dixi 2.* Aliquot diebus antecedenter; quia si ipso die, quando jam præceptum urget, vel immediatè antecedenter ponatur impedimentum v. g. aliquis ipso die festo, aut horâ decimâ, vel duodecimâ noctis, sine justâ causâ exit, & Missam negligit; indubiè peccat; sic enim habet communis persuasio, & usus, qui est optimus legum interpret *Gob. in exper. c. 5. n. 4. §. 3.*

2. Præcepta naturalia & divina obligant, ut 17. etiam aliquot diebus antecedenter non ponam impedimentum; obinde peccant contra justitiam Pastores, Officiales, famuli, si per nimium potum se prævideant incapaces fore ad obeundos labores ex justitiâ debitos; item, qui per luxum in vestibus, conviviis, & similibus, vel per lusum reddunt se impotentes ad solvenda debita, vel ad alendam familiam, tenentur ex justitiâ ab his abstinere. Qui per iter, vel negotia se prævidet impediendum à communionem annua, probabiliùs tenetur prævenire, vel ex post supplere.

3. Quamvis quis obligetur non ponere impedimentum legi, non tamen semper tenetur removere impedimentum aliunde positum; nam *Marchin. Tamb. Suar. La Croix.* cum communi docent, quòd non obliget procurare valetudinem, vel liberationem è carcere, præcisè ut satisfaciam præcepto Ecclesiæ de audiendâ Missa, vel præcepto naturali de legendâ Missa, quando ad eam ex justitiâ obli-

obli-



obligor; aut etiam, ut satisfaciam præcepto divino de confessione, & communione annuâ; e contra si per censuras v.g. excommunicationem, suspensionem, vel interdictum impediatur, plerique docent me teneri petere absolutionem à censuris, quia censure immediate, & directe impediunt ab eiusmodi functionibus, cum ab Ecclesia ad illum finem infligantur; hoc autem non facit carcer & infirmitas, *Tamb. L. 3. de Mis. c. 6. §. 1. num. 8. G. b. n. 89. La Craix L. 1. n. 782.* Ratio horum omnium est intentio Legislatorum, quæ ex usu & judicio prudentum rationabiliter colligitur: constat enim Legislatores in unâ materiâ facilius permittere impedimentum legis, quàm in alia, sic lex jejunii permittit assumi honestum laborem cum jejunio incompossibilem, non verò id permittit lex Missæ vel horarum.

19. QUÆR. V. An opus præceptum poni debeat animo satisfaciendi præcepto? R. Plerùmque non requiritur animus satisfaciendi præcepto, sed sufficit, quòd ponatur materia præcepti, hinc qui audit Sacrum, legit horas, dat eleëmofynam immemore præcepti, vel voti, satisfacit, imò quamvis quis habeat intentionem oppositam v.g. per hoc Sacrum per hanc recitationem horarum, non satisfaciendi præcepto, modò adsint reliqua, satisfacit, nec tenetur ad novum Sacrum, vel novas horas: quod tamen probabilius non tenet de obligatione voti, vel debito justitiæ, nam si nolis per hanc eleëmofynam satisfacere voto, per hanc pecuniam extinguere debitum justitiæ cognitum, non satisfacis. Ratio horum est, quòd obligatio voti, & debiti oriuntur ex liberâ hominis voluntate, ideòque in his obligationibus potest liberè velle perseverare; e contra aliæ obligationes oriuntur à voluntate Legislatoris.

ideò



ideoque non est in potestate subditi, ut positâ materiâ præceptâ perseveret obligatio. *Suar. Herinx. Reiffenst. n. 45. & seqq. La Croix. L.c.*

QUÆR. VI. An eodem tempore, aut etiam eodem actu pluribus & distinctis legibus satisfieri possit? *R. Affirm.* Si materiæ legum neque ex se, neque ex intentione legislatoris sint incompatibiles, secus si se compati possint. Unde deducuntur seqq.

1. Die festo possum audire Missam, & simul legere horas Canonicas, persolvere Pœnitentiam, aut alias preces obligatorias; audire concionem &c. quia hæc omnia cum auditione Missæ sunt compatiblea, ut latius explicabo *Cas. 95. à num. 3.*

2. Si plura præcepta eandem materiam præcipiant v. g. vovisti in vigilia S. Matthiæ jejunare, & confessarius idem pro pœnitentia imposuit, satisfacis eodem actu præcepto Ecclesiæ, voti, & pœnitentiæ, ut per se patet. Item obligaris orare horas ratione ordinis, & beneficii, satisfacis unâ recitatione. Si festum incidat in Dominicam, satisfacis utrique audiendo unam Missam. Econtra si alicui ex pluribus titulis debeas centum aureos, non satisfacis si semel des centum, quia justitia exigit æqualitatem rei ad rem, in aliis præceptis præcipuè attenditur intentio legislatoris.

3. Votum & pœnitentia plerumque non implentur per actum aliàs debitum v. g. Confessarius præcipit audire Missam, debes eam audire die feriato; aut in die festo audire duas, unam ex lege Ecclesiæ, alteram ex præcepto confessarii. Item si vovisti eleëmodyniam, & Confessarius imposuit eleëmodyniam, eâdem stipe non satisfacis utrique. Item confessarius indeterminate tibi iussit jejunare uno die Sabbathi, non potes eligere Sabbathum,

F

bathum,

*R. D. Jansen Theol. Moral. Tom. I.*



batum, in quod incidit jejunium Ecclesiæ; eon-  
trà si determinatè jussit primo Sabbatho, vel tribus  
Sabbathis consequenter jejunare; satisfacis etfi in  
Sabbatum simul incidat jejunium Ecclesiæ. Item  
vovisti omni die audire Missam, non teneris juxta  
*Sanch. & Bonacina*, diebus Dominicis & festis audire  
duas. Ratio horum omnium est, quod hæc ple-  
rumque sit mens confessarii & voventis, nisi aliter  
expresserint. Plura de his dicam suis locis.

21. QUÆR. VII. Quid de abrogatione, deroga-  
tione, dispensatione, interpretatione & Epekl  
Legum? R. Tenenda esse sequentia.

Imò, Abrogatio est totius Legis cassatio seu sub-  
latio facta ab ipso legislatore, ejus successore, vel  
utriusque Superiore, eo quòd v. g. lex incipiat esse  
minùs utilis, vel nimis difficilis: inferior verò non  
potest legem superioris abrogare, nisi forsan ex  
privilegio, aut ex præscriptâ consuetudine, cum  
enim inferior non sit Dominus voluntatis superio-  
ris, non potest eam reddere irritam sine ejusdem  
superioris consensu; quod etiam videtur dicen-  
dum, si lex inferioris fuerit per superiorem confir-  
mata, quia ex quo superior legem confirmavit, vi-  
detur eam suam fecisse.

2. Derogatio est sublatio legis pro parte, & in  
hoc differt ab abrogatione, quæ totam legem tolle-  
lit, ut jam dictum est.

22 3. Dispensatio est relaxatio legis pro particulari  
casu vel personâ, manente obligatione legis pro  
aliis casibus vel personis. Facultas dispensandi per  
se competit legislatori, ejus successori vel utriusque  
in jurisdictione superiori, ab horum quippe arbitrio  
tota legis obligatio pendet; Et hæc ratione certum  
est, S. Pontificem posse dispensare in toto Jure Ca-  
nonico, imò & in lege Apostolicâ humanâ, cum in  
pote-



potestate jurisdictionis non sit inferior Apostolis & S. Petro, cujus est successor: in lege verò naturali & divinâ v. g. in voto, juramento & similibus ex jure naturali vel divino obligantibus, propriè & directè dispensare non potest; nequit enim facere, ut liceat homini non servare promissionem Deo factam & non remissam, sed autoritate Dei promissionem remittit, quo ipso obligatio eam servandi per se corrumpit, ita communis D. D. Dixi, quòd facultas dispensandi *per se* competat soli Legislatori aut ejus Superiori; nam per accidens sive ex privilegio aut receptâ consuetudine etiam inferior in lege superioris dispensare potest: sic Episcopi dispensant in jejuniis, festis, aliisque præceptis Ecclesiæ frequenter occurrentibus. Requiritur autem 23 ad dispensationem, ut fiat ex justâ causâ, putâ necessitatis, utilitatis, vel pietatis. Trident. *Ses. 25. de reform. c. 18.* Alioquin erit illicita, & si ab inferiore fiat in lege superioris, etiam invalida, eò quòd superior non censetur dare facultatem inferiori, dispensandi in lege suâ sine justâ causâ. At nunquid 24 potestatem habens dispensandi cum subditis in voto, juramento, jejunio, censurâ, irregularitate &c. in iisdem etiam secum ex justâ causâ dispensare poterit? R. Cum communi affirmativè: vel enim quæstio est de ipso legislatore, & tunc sicut ipse suâ lege propriè non obligatur, ut dixi *sup. n. 1.* ita non indiget dispensatione seu relaxatione legis: si verò quæritur de alio superiore, Prælato vel Episcopo; hi dispensant vel relaxant legem nomine Dei vel Ecclesiæ, & tunc nulla videtur esse ratio, cur id ex justâ causâ possint respectu subditi, non verò ex eadem causâ respectu sui. Si dicas: Dispensatio est actus jurisdictionis in subditum, nemo autem sibi propriè subditus est; R. Idem hic duplicem gerit



personam; in quantum nomine Dei aut Ecclesie secum dispensat, sic gerit personam Dei vel Ecclesie; in quantum verò dispensatur, est subditus, puta Dei & Ecclesie, quorum nomine fit dispensatio.

2) 4. Interpretatio legis est ejusdem explicatio secundum mentem legislatoris, est triplex, Authentica usualis & doctrinalis; *Authentica* est quæ fit per aliam legem latam ad declarandam priorem, unde eandem auctoritatem habet quam lex ipsa *c. fin. de constit.* & solum fieri potest ab ipso legislatore, ejus successore vel superiore, non autem ab inferiore, nisi Superior id ei commiserit, ita Deus commisit Papæ facultatem authenticè interpretandi Jus Divinum *S. Th. 2. 2. q. 2. a. 3.* & Papa Cardinalium congregationi potestatem declarandi Concilium Tridentinum. *Usualis* interpretatio est quæ per usum & consuetudinem est introducta, unde consuetudo optima legum interpretis dicitur, de qua dixi *Cas. prac. à n. 13.* *Doctrinalis* est quæ fit arte & peritiâ Doctorum, quæ solum probabilitatem habet.

26 5. Epikia est benigna interpretatio legis secundum æquum & bonum, seu est mens legislatoris rationabiliter præsumpta, & solummodo locum habet, cum materia legis in particulari casu fit illicita, aut ita difficilis, ut prudenter credatur, quod superior si adesset, aut interrogari posset, ipsemet declararet, se nolle pro isto casu legem suam obligare, &c.

